ΜΕΛΧΙΣΕΔΕΚ.

CONCIO
DE
Æterno CHRISTI Sacerdotio,
IN
VISITATIONE
Cathedrali
ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ
SETHI
EPISCOPI *SARISBURIENSIS*,
HABITA.

Per *JOSEPHUM KELSEY* ejusdem Ecclesiæ
PRÆBENDARIUM.

LONDINI:
Impensis GUALTERI KETTILBY, ad Insigne *Capitis Episcopalis*
in Cœmeterio D. *Pauli*. M DC XCI.

Imprimatur.

Jan. 26.
1691.

Carolus Alston, R. P. D. *Hen.*
Episc. Lond. à Sacris.

ΜΕΛΧΙΣΕΔΕΚ.

CONCIO
DE
Æterno CHRISTI Sacerdotio,
IN
VISITATIONE
Cathedrali
ΤΟΥ͂ ΜΑΚΑΡΙ΄ΤΟΥ
SETHI
EPISCOPI *SARISBURIENSIS*,
HABITA.

Per *JOSEPHUM KELSEY* ejusdem Ecclesiæ
PRÆBENDARIUM.

LONDINI:
Impensis GUALTERI KETTILBY, ad Insigne *Capitis Episcopalis* in Cœmeterio D. *Pauli*. M DC XCI.

In Epistolâ ad *Hebræos*, Capite Sexto, Versu ultimo, Vicesimo.

Ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα.

QUAM ardua res erat Humani generis Salutem procurasse, ex hoc potissimùm elucet; quòd Deus Christum filium, non nisi omni Honorum genere cumulatum, cunctis Potentiæ titulis clarum, Autoritate maximè augustâ insignitum, tanti Moliminis opus aggredi voluit. Cum enim ad perfectam nostrî Beatitudinem tria omnino necessaria inventa sunt; constabatque Divinæ Majestatis iram placandam esse, Humanas mentes cœlestis veritatis cognitione lustrandas, durissimam inimicorum pervicaciam frangendam; nec nisi à pientissimo Sacerdote infensum nobis Deum conciliari potuisse, non diù obductas

obductas animis noſtris errorum tenebras diſcuti, niſi à Prophetâ divinitùs illuminato; non denique mundanas inimicitias acerbè reluctantes aliter quàm à Rege Potentiſſimo debellari; quæ ſingula mortales vires longè ſuperabant, & jam conjuncta Chriſtus ſolus fortiter ſuſtinuit.

Hic Rex illuſtri ſtirpe oriundus Familiam ſuam à *Davidis* Temporibus ſenſim diminutam, triſtique per varias Calamitatum viciſſitudines interitu deficientem reſuſcitavit, collapſum *Judæ* Sceptrum reſtituit, novamque condidit Monarchiam vel laudatiſſimis Terræ Imperiis Magnitudine, Gloriâ, Duratione prælucentem. Hujus muneris præſidio, Eccleſiam ſuam protegere, ejus perpetuitatem fulcire, hoſtium impetus repellere, munitiones demoliri, & quicquid eſt ubiq; mundani apparatus Imperio ſuo ſubjungere; fideliſſimos Subditos ſuos Fortitudine inſtruere, Virtute munire, Alacri-

tate perfundere, ad Victoriam amplissimis propositis Præmiis animare, & vexatissimâ Militiâ hâc tandem perfunctos in cœlis Triumpho & sempiternæ Civitatis Coronâ donare.

Hic Propheta Coelos Terramque novos condidit, totius mundi παλιγγενεσίᾳ ornavit. Legem novam senescenti priori subrogavit, eamque esse verè Divinam Vitæ puritate, Miraculorum frequentiâ, & magnitudine demonstravit; obscura Antiquorum Vaticinia expedivit, ipse complevit; Superstitionis Ethnicæ tenebras fugavit, clarum diem inferendo. Præclarè Hic de monte sacro Æternitatis oracula pronunciat, cœlestis Doctrinæ mysteria pandit, turbidos Animorum motus componit, Irarum æstus sedat, Cupiditates omnes placidæ Mentis tranquillitati inimicas castigat, ferocientes incultæ Naturæ motus demulcet, sævamque Barbariem in mitissimam suam Religionem transire jubet. Quoties sui temporis

ris vitia inſectando mirè incaluit? Fucatam ætatis Sanctimoniam quot ictibus confecit? Faſtum, Ambitionem, Avaritiam quàm altè ſecuit? Ac quid non molitus eſt Divinus Vates, quò omnibus animi morbis ritè curatis, vitiis radicitùs evulſis, Humanas mentes in perfectiſſimam virtutem erudiret, & in ſupremo Felicitatis faſtigio ſecuras collocaret? Eximiis hiſce Propheticæ dignitatis beneficiis non minoris momenti accedit Ecclefiam ſuam ſalutaris Doctrinæ conſervatricem inſtituiſſe, Sacramentis vim ſpiritualem indidiſſe, Miniſtros ordine pulcherrimo diſtributos donorum inviſibilium Diſpenſatores ſtabiliviſſe, eoſdem ampliſſimâ Cœleſtium clavium autoritate cohoneſtâſſe; totâq; hâc politeiâ, Divinâ arte fabricatâ, tanquam terrenum *Adami* Corpus vitali Animâ, mundanum regimen inſpirâſſe: Ut quas fecerit Diſciplinæ veteris ruinas temporis injuriâ liceat Epiſcopali Vigilantiâ inſtaurare,

præcipites

præcipites errorum curſus ſiſtere, luxuriantes Hæreſeôn impetus reprimere, languentes ac pene mortuas ſacratarum Legum vires recreare, omnibuſque iis officiis inhærere, quibus exequendis Eccleſiæ corpus in primævum robur ac pulchritudinem renovari poſſit.

Sacerdos denique Chriſtus ſeipſum victimam Patri irato lubens obtulit, quâ peccata noſtra expiabat, Deumque nobis faventem propitiumq; reddebat, & cœleſte Sanctuarium ingreſſus hoc æternùm agit, ut Eccleſiæ ſuæ Cauſam omneſque res noſtras, pro gratiâ, quâ apud Deum valet, ſuſcipiat defendendas.

Hanc autem Chriſti Pontificiam dignitatem, ſi præſenti ſermone totus proſecutus fuero, non multùm videbor (uti ſpero) ab hujuſce diei lociq; inſtitutis, veſtrâq; omnium expectatione diſſidere; de ſupremo nempè Pontifice coram Epiſcopo dicturus, in ipſâ Presbyterorum coronâ de æterno Sacerdotio: Cujus pars magna eſtis,

tu Pater in Chriſto admodum Reverende, voſque Reverendi Fratres, quorum utriuſque Ordo ſacerrimus ut quam meruit Æternitatem aſſequatur, concedat, cui curæ eſt Eccleſia, noſter Pontifex miſericors, ad *Melchiſedeci* Ordinem factus in ſempiternum. De quo quidem *Melchiſedeco* cùm multa Apoſtolus ſublimi oratione diſputavit, non tamen omnem illi viſum eſt in hâc cauſâ difficultatem amovere. Manet enim, ut ipſe loquitur, λόγος δυσερμήνευτος tantâque Obſcuritate impeditus quæ vel doctiſſimorum ingeniorum acumen eluſit hactenùs, labores fruſtrata eſt; cùm nec quis fuerit, nec qualis Sacerdos ſatis conveniat; non denique quæ ſimilitudo inter illius & Chriſti Sacerdotium intercedat. Hodiernæ itaque Diſceptationis hæc ſumma eſto.

Primò, de Perſonâ Inquiſitio.

Secundò, de Sacerdotii ejus naturâ & ratione Diſputatio.

Tertiò, Chriſtum fuiſſe reverà ejuſdem Ordinis Sacerdotem explicabimus.

Quartò, quem uſum habeat inventa (ſi fortè) Veritas, quos fructus in commune ferat, quidve emolumenti hinc poſſit in rem noſtram Theologicam redundare oſtendemus; nè ſterilem & infructuoſam materiem colendo, inutilem prorsùs operam poſuiſſe, & ineptiis noſtris nimiùm plauſiſſe videamur.

1. *Melchiſedecus*, πηλίκος οὗτος, quis quantuſq; fuit, non niſi ex duobus veteris Scripturæ locis, *Geneſeos* decimo quarto, & *Pſalmo* centeſimo decimo datur cognoſcere; ex quibus ſolis omnia illa, quæ de hujuſce Viri magnitudine præclarè ille diſſeruit, tranſtulit Apoſtolus. Pluribus Divinis teſtimoniis deſtituta in diſcrepantes tres potiſſimùm ſententias abiit Humana hæſitatio.

1. Prima eſt *Judæorum*, qui *Melchiſedecum Semum* ſtatuunt, Chriſtianoſque aliquot in partes traxerunt. Illi ſcilicet generis Nobilitate

bilitate

bilitate ſuperbientes *Abrahamum* (quem ראש חותש Proſapiæ radicem gloriantur) ab alienigenâ Benedictionem accepiſſe, eidemque decimas tanquam ſuperioris ordinis Sacerdoti ſolviſſe indignati, *Melchiſedecum* primò quidem Angelum dixerunt, deindè *Semum* illumq; *Abrahamo* tanquam Pronepoti ſuo benedixiſſe, ſic ſalvum Genti ſuæ honorem fore arbitrabantur. Hæc autem ità ſe non habere multis Argumentis firmiſſimè demonſtratur. Primò, de *Melchiſedeco* dicit Apoſtolus ὁ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν cujus genus in Hiſtoriâ *Judaica* non refertur. *Semi* autem Generatio ab ipſo *Adamo* continuatâ ſerie deſcribitur. Nec ille ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ ullo modo dici poteſt, cujus Parentes agnoſcit Scriptura, nomina deponit. Secundò, *Melchiſedeci* Ordinem ab Ordine *Levitico* alium prorsùs & diverſum definit Apoſtolus, *Levitis* autem à *Semo* oriundis idem cum illo & commune erat Sacerdotium. Ordinem *Melchiſedecianum Aaronico*

nico prætulit Apoſtolus, quia *Levi* illi tanquam digniori decimas ſolvebat; quæ Argumentatio ex hâc opinione nulla eſſet; ſi enim idem homo fuit *Melchiſedecus* & *Sem*, *Levi*, qui ab utroque *Semo* & *Abrahamo* deſcendebat æquali ratione decimas accepiſſe in *Semo*, ac ſolviſſe in *Abrahamo* diceretur, atque ex hoc non eſſet cur ullam præſtantiam alius præ alio jure vendicaret. Tertiò, toto terrarum orbe inter tres *Noachi* filios, ſubmerſo cœlitùs mundo, ſuperſtites diſtributo, Regio *Canaanitis*, in quâ regnabat *Melchiſedec*, *Chamo* ſorte contigit. *Semum* itaque in ipſis alieni Imperii viſceribus adeò honorificum Dominium poſſediſſe ab omni ratione videtur primâ fronte diſſentire.

Χαναναίων δυνάστης. *Joſephus* Belli *Jud.* Lib. 7. Cap. 18.

2. Succumbit pariter & altera *Cunæi* magni nominis viri, quæ *Melchiſedecum* ipſum Chriſtum fuiſſe contendit, haud levioribus incommodis conflictata. Neque enim ille ἀπάτωρ & ἀμήτωρ jure prædicatur, cui & genus à *Jehovâ* ſummo & Matre

tre beatâ θεοτόκῳ. Non ille certè ἀγενεαλόγητος, cujus βίβλον γενέσεως Evangelistæ accuratè descripserunt, non ille Dei filius ipse, qui ab Apostolo tantum ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ. Solutum adeo & abjectum dicendi genus, ut quem sibi consimilem dicat, respuit prorsùs Divini Oratoris accurata dicendi ratio. Si denique *Melchisedecus* esset ipse Christus, sequeretur Christum etiam tunc cùm *Abrahamo* apparuit, fuisse Sacerdotem ad *Mechisedeci* ordinem. At contradicit Apostolus, qui filium Dei factum Sacerdotem juramento μετὰ τὸν νόμον interveniente disertè affirmat. Fuere quidem (quod hujus sententiæ est Fundamentum) Authores piissimi qui secundam sacræ Triados personam Humanâ specie se induisse crediderunt, & Patriarchis visendam se exhibuisse; Apostolus verò noster ea ipsa tempora locaq; respiciens in quibus Deus, cui *Jehovæ* nomen, apparuisse legitur, non nisi Angelorum mentionem fecit. Capite decimo tertio

nobis

nobis commendat Hoſpitalitatem, quià nonnulli inſcienter Angelos Hoſpitio exceperunt. Certè firmâſſet Argumentum, ſi ipſum Deum excepiſſent: Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, neque viderunt, (dixit Chriſtus) *Abraham* autem vidit diem meum; Senſu quo Prophetæ ראים & חוזים videntes appellantur.

3. Tertia itaque Opinio, quam longè veriſſimam judicamus, *Melchiſedecum* hominem mortalem aſſerit, urbis *Salem* ab ipſo conditæ regem, quæ poſteà montem inſuper *Moriam Abrahamo* יראה dictum complexa, à *Davide Jeruſalem* eſt appellata.

1. Primò itaque notandum eſt, pietatem veram nunquam è terris penitùs exulâſſe, quin omnibus ſæculis, temporibus iniquiſſimis, quoſdam extitiſſe viros bonos, qui ſeſe ad Legis naturalis normam (quam primævam Revelationem dicere liceat) componentes, tum Deum ſanctiſſimè coluere, tum erga homines juſtitiam

ſtitiam conſervabant; quorum Virtutibus non ævi malitia labem inurebat, non vitiorum contagio mores infecit; quin contra graſſantem undiq; impietatem ſumebant animos, & ſe dignos fingebant Deo. Hi ardentiſſimâ Virtute, Sanctitate laborioſâ in cœlum tendentes Dei filii, Diis geniti omnium gentium dialectis ut audirent meruere: Hujuſmodi multos quos חסידי אומות pios ex gentibus vocant, agnoſcunt *Judæi*; qui vitam ſuam, ſecundùm Naturæ lumen ſeptem *Noachidarum* Præcepta, vel quæcunq; Officia ex tam uberrimo fonte dimanârunt, inſtruebant. Talis *Abraham*, talis *Lot*, *Jobus* & noſter Rex *Salem*; cui, ex ſummis virtutibus, quas ſuas fecerat, ſimplici Juſtitiæ nomine comprehenſas, ſplendidiſſimum *Melchiſedeci* Cognomen dedit iſtius ævi amor & admiratio. Sic Eupator, Philometor, Magnus, Juſtus, Pius, grandia Epitheta alios quoq; Reges nobilitârunt. Quò non mirandum eſt, ſi vel inter *Canaanæos*, quorum impi-

etas,

etas, cùm tandem maturata esset, universis incolis èxitio fuit, inventus sit justissimus unus & servantissimus æqui.

2. Secundò, tenendum est Conjunctionem Imperii & Sacerdotii in eâdem Personâ, ut qui Rex fuerit, idem & Sacerdos apud omnes gentes adeò invaluisse, ut (notante *Grotio*) vix ullâ in re major consensus gentium inveniatur. Omninò apud veteres (dixit *Cicero*) qui rerum potiebantur iidem auguria tenebant, ut enim sapere sic divinare Regale ducebant. *Homerus* & qui ex illo sapientiam hausit *Virgilius* passim Heroas suos, id est, Principes sacrificantes introducunt. Apud *Æthiopes* Reges fuisse Sacerdotes narrat *Diodorus*, apud *Ægyptios Plutarchus*, apud *Spartiatas Herodotus*, apud *Athenienses* & plerasque Græcorum civitates *Plato*, *Romanos* idem secutos *Halicarnasseus* & *Livius* nos docent. Undè etiam, Regno sublato, mansit Rex sacrorum. Imperatores ipsi à *Julio Cæsare* usque ad *Gratianum*

De Imperio Sum. Potest.

per

per quadringentos circiter annos vigente Chriſtianiſmo, Pontificatum maximum ſibi ſervabant. Pontificibus acclamabant ſanctiſſimæ Synodi; & ſexta Oecumenica cum Laicos ab altari arcebat, Imperatori accedere permiſit. Ἱερωσύνη καὶ βασιλεία εἰς ἓν ὀρῶσι τέλος, dixit *Pelusiota*, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν. Haſce quidem Poteſtates, cùm *Judæorum* πολιτείαν formabat Deus, diſtinctas eſſe voluit; nè populus tanto Sacerdotii ſplendore, ex coaleſcente regali Majeſtate oriundo, mentis oculos perſtrictus, ulteriùs non expectaret, nec Meſſiam Regem æquè ac Sacerdotem inſtar *Melchiſedeci* olim futurum amplecterentur. Clarè conſtat ab ipſo rerum initio per annos fermè bis mille quadringentos toto Orbe terrarum moris fuiſſe, ut tum Regnum tum Sacerdotium primogenitis cederent, qui idcircò *Chryſoſtomo* ἱερεῖς αὐτοχειροτόνητοι dicuntur. Igitur nec hoc mirandum de *Melchiſedeco* ſi fuerit ut *Anius* ille *Virgilianus*,

— *Rex*

—*Rex idem Hominum, Phœbiq; Sacerdos.*

ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ hoc eſt, ἀγενεαλόγητος, cujus Parentes & Genus *Hebræorum* in Faſtis non citantur. Vel, quod neſcio an ulli Interpretum ſuboluit, quo modo *Jeconias* ſine liberis à Prophetâ *Jeremiâ* dictus: habuit ille filium *Salathiel*, ſed qui nunquam Patris ſolium capeſſebat. Sic *Melchiſedecus* ſine patre Rege, utpotè qui primus in familiam ſuam dignitatem Regiam intulit. Θεὸς autem ὕψιστος, cujus Sacerdos noſter Rex, pro vero & *Judæorum* Deo ab Ethnicis uſurpatur, quod ex Regis *Babyloniæ* apud *Danielem* & aliquot Imperatoris *Auguſti* Edictis declaratur. Atque hæc de Perſonâ dicta ſint.

II. Sequitur ut de Sacerdotii ejus Naturâ & Ratione inquiramus.

Sacerdotii *Melchiſedeciani* Rationem certiùs aſſequemur, ſi Legem illam quam ſacerdotali ſuâ curâ moderabatur invenerimus. Adeò enim arctiſſimo nexu

conjunguntur Lex & Sacerdotium, ut (monente Apoſtolo) transferendo Sacerdotio, tranſlatio Legis ut fiat neceſſe eſt. Legem itaque quam coluit & tuebatur *Melchiſedecus*, non alium judicamus, quam quæ Naturæ dicitur, Traditionibus quibuſdam ab ipſo *Adamo* tranſmiſſis aucta vel *Noachidarum*, quæ dicuntur, Præceptis explicata. Hanc intemeratam dum ſervabat Primus Pater, ſtatum Innocentiæ (amabile nomen ! res diuturna ſi fuiſſet) condidit ; tantâq; felicitate uſus eſt, ut à multis diſputetur, num quicquam divinius illum vel in cœlis maneret olim. Fortunatam Animam ! Deo plenam ! æternæ rationis monitis dum obſequentem. at ! *Fuit ingens Gloria.* Hanc ducem nacti Humani generis Principes omnia tum erga Deum Pietatis, tum quæ civilem ſocietatem augere ſolent, Officia adimplebant. Non alio Doctore inſtructi Patriarchæ pii Deum precibus flectere, per illius nomen

ſanctè

ſanctè jurare, illi honorem conſpicuum adhibere, vota facere, cœtus publicos indicere, aras ſtruere, ſacrificiorum ritus, aliaſq; quæ ad Religionem ſpectant, Cæremonias ordinare didicerunt. Hujus Inſtitutis innixus *Enos* pulcherrimum vitæ Curriculum habuit, & cum Deo ambulâſſe dicitur. Et *Abrahamus*, poſtquam Idololatricæ genti valedixiſſet, ſuiq; Patris Imagines Igne conflâſſet, fortiſſimâ in verum Deum fide clarus, ejuſdem Amicus auguſtiſſimo Titulo celebratur. Hæc æternæ Legis virtus eſt, hæ rectæ rationis vires, quas quicunque hauſerit, iiſque animum altè imbuerit,

Ἔσπεται ἀθάνατος, Θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

Ut *Melchiſedecus* noſter Immortalitatem ſpirat, imò in ſe habet. Certè par eſt credere, hunc ad cujus Ordinem factus eſt Jeſus ſanctiſſimus, ſacerdos; hunc, tanto Elogio dignum ut fuerit ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, cæteros omnes priſci ævi Heroas

roas virtute non æquâſſe ſolùm, ſed etiam (ignoſcent ſublimes animæ) ſuperâſſe. Nec aliter puto huic, licet Maximo viro, convenient illa ab Apoſtolo mirificè attributa, niſi ut Legis Naturalis Antiſtes fuit, ejuſdemque acerrimus Propugnator. Quid enim! Vivitne etiamnum in terris, (quod de Sancto *Johanne* aliquot Græci ſomniârunt) in lucem hominum aliquando ſe daturus? Nemo dixit. Vivit in cœlis? Pariter omnis vir bonus eſt æternus. Non moriebatur, ſed *Enochi* inſtar terram cum cœlo vivus commutavit? Tacet Scriptura. At ſi concedamus hæc non tàm Perſonam quàm Legem, quam egregiè procurabat, reſpicere, jam fugiunt tenebræ & in clariſſimâ luce verſamur. Equidem ea omnia, quibus grandeſcit *Melchiſedeci* dignitas, de Lege Naturali ab aliis Scriptoribus prædicantur. Hanc video (ſcripſit *Cicero*) ſapientiſſimorum fuiſſe Sententiam, Legem neque hominum inge-

niis

niis excogitatam, neque ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quiddam: *Philoni* νόμος ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθεὶς, quæ nec ab ipſo Deo diſſolvi poſſit. Optimè vero concordant Verſus ex *Sophoclis* Antigonâ de hâc Lege recitati,

> Ου γάρ τι νῦν γε χθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
> Ζῇ τοῦτο, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Melchiſedecus μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ, pariter ἀεὶ ζῇ τοῦτο. Ille μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, hanc οὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη. Tantum denique nimium Legi Naturali tribuerunt Scholæ, ut Divinam voluntatem, Æternitatem ipſam antecedat. Hoc itaque fixum maneat, Legem cujus Sacerdos erat noſter Rex, fuiſſe puram Naturalem; quæ quia æternas rerum rationes continet, meritò & ipſa æterna celebratur, æternitatemque ſuam Sacerdoti ſuo, ſano ſenſu impertivit. Hujus autem Sacerdotii Partes & diſtincta Officia, de Benedictionibus, de Decimis, de Sacrificiis, aliiſque ex ipſis

ſis Naturæ fontibus, ducente rectâ ratione, derivata, & latiſſimè ſe diffundentia, vix nominare patitur brevis hora, nedum pro tantâ Materiæ dignitate dilucidare.

III. Tertiò itaque, Chriſtum fuiſſe ad ordinem *Melchiſedeci* Sacerdotem breviter explicabimus. Hic Æternæ Legis magnus Inſtaurator, Naturæ lumen longâ ſuccreſcentium vitiorum Caligine obſcuratum denuò ſuſcitavit. Rectam rationem, optimam Divinæ Imaginis partem, peſſimis erroribus deformatam in integrum reſtituit. Quid enim complectitur Evangelium extra Præcepta Credendi, & Sacramentorum, quod non ſit juris verè Naturalis? Duriſſimum illud, ut alii pro aliis mortis periculo nos objiciamus, non ſolum laudârunt Ethnici ſed & executi ſunt. Hinc Lex Chriſtiana Græcis patribus toties Philoſophia dicta eſt, quæ ſcilicet omnia Moralis Sapientiæ officia magnâ perſpicuitate excoluit,

luit, invictis Argumentis fulcivit. Testor Divinam illam Concionem, quam Jesus ad Discipulos primam habuit; in quâ hoc enixè agit, ut rectæ rationis Majestatem impiis vel ineptis Pharisæorum traditionibus (tanquam injectis Catenis) vinctam, atq; captivam in primævam gloriam ac libertatem vindicaret. Quas laudavit virtutes, Mititiam, Humilitatem, Justitiam, mentis Puritatem, &, quæ vel inimicos amplexibus suis comprehendat, Charitatem, nonnè agnoscit cujusq; animus cognatas veteres? Nempè quo modo sub inculti ligni deformitate latet *Palladis* Imago, latent *Praxitelia* capita, quæ tum demùm apparent cum quicquid visui obstabat dolando Artifex abstulerit; ita mentibus nostris insitas virtutes, Naturæ inhærentes, vitiorum ruderibus liberatas inclarescere fecit summus felicitatis Humanæ Fabricator. Certè Christus Divortii politeiam à *Mose* Civibus suis concessam emendaturus, Primam

Matrimonii institutionem appellat. Quæ definitio & in Polygamiâ, utcunque Patribus indultâ, locum habet. Inde clarè edocti sumus, illum omnes Humanæ vitæ rationes ad rectam rationem voluisse revocare; illam autem esse rectissimam quæ sub *Adamo* innocenti, quàm minimâ peccandi libidine depravata, Divinum Authorem referebat. Cùm totus mundus in *Judæos* & *Gentiles* (sectione valdè inæquali) divisus sit, & Lex æterna sub amborum Tyrannide miserè vexata laborâsset, subvenit Christus, qui cœlesti Autoritate fultus, eam erroribus, quibus gravissimè detinebatur, eripuit; & in pristinam, quâ ante Legem *Mosis*, vel firmatas *Gentilis* Superstitionis vires, gaudebat, libertatem reposuit. Lex *Mosaica* grave jugum Christo dicitur: Nec alia Libertas ab Apostolo laudata, non alia perfecta Lex *Jacobo*, quàm quâ sub Lege Naturali positum Humanum genus fruebatur. Hoc itaque commune Fundamentum

damentum habent Sacerdotium Chriſti & *Melchiſedeci*, quòd æternam Naturæ Legem egregiè uterq; (majori autem cum gloriâ Chriſtus) adornabant. Aliâ quidem ratione, ſed quæ *Melchiſedeco* minimè convenit, manet Chriſtus Sacerdos in æternum: Cœlum ſcilicet ingreſſus, ſeipſum Victimam pro peccatis noſtris cæſam, coram in præſentiâ Dei ſiſtit, & Sacrificii ſui vi, ut Pontifex noſter, nos Deo perpetuò commendat. Sacrificabat *Melchiſedecus* non ſolùm pane & vino (quod nonnulli arbitrati ſunt) ſed pro more ſæculi cruentis etiam uſus eſt. Chriſtus autem unico functus Sacrificio perpetuam ſacrificandi Ceſſationem juſſit. Niſi quod de *Adamo* dixit *Judæus* quidam, illum ante peccatum totum fuiſſe Sacrificium; ita nos (hortante Sancto *Paulo*) præſtemus corpora noſtra Hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo, qui noſter eſt Cultus rationalis. Ad hanc ſimilitudinem, quam inter duo Sacerdo-

tia aſtruimus, referri debet, quod *Melchiſedeci* inſtar Regis & Sacerdotis, Chriſtiani à Sancto *Petro* βασίλειον ἱεράτευμα regale Sacerdotium appellantur : & non ſemel tradidit Author Apocalupſeos Chriſtum nos feciſſe Reges & Sacerdotes ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας,

Compoſitum [ad Naturæ Legem] *jus, faſque animi, ſanctoſque receſſus*
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, reliquoſq; qui ante Legem floruere Patriarchas Divini cultûs obſervantiſſimos ſabbatizâſſe negant è ſanctis Patribus non pauci. Extat pariter inter veterum *Judæorum* effata, Omnes dies Meſſiæ erunt unum Sabbatum. Tanta erit aurei iſtius ſæculi, & vera pietas, quæ per omne temporis ſpatium latè ſe diffunderet, nec cujuſque diei terminis includeretur.

Denique

Denique ut hunc comparandi locum finiamus, *Melchiſedec* Θεῷ ὑψίστῳ Sacerdos fuit. Nondum enim ſacratiſſimum *Jehovæ* nomen, (quod longo poſt intervallo ab ipſius Dei ore primus accepit *Moſes*) mortalibus innotuerat. Vicinarum ſcilicet gentium ſeu Atheiſmum, ſeu Polytheiſmum exoſus impietatem omnem, Idolorum cultu ſe ſuſtentantem, è Civitate ſuâ exterminavit. Quantam autem mentis Puritatem, ab omni terrenâ Fæce ſe abſtrahentem, in ſacris Religionis myſteriis celebrandis injungat Lex Chriſtiana, res ipſa loquitur: Quantoſque Triumphos de Ethnicâ Idololatriâ egerit, mirabitur quiſquis vel afflictiſſima naſcentis Chriſtianiſmi tempora cùm animo ſuo reputaverit. Impiè itaque ludebant inſulſa *Judæorum* ingenia, dum ut ſanctiſſimum Jeſum falſæ Religionis infamarent, illum non *Abrahami*, unius Dei cultoris (quem Titulum ſibi ipſis vendicabant) ſed *Theræ* Idololatræ filium, ſatis pro invidiâ, divulgârunt.

Atq; hanc originem, credo, habuit calumnia illa *Celsi* apud Origenem de beatâ *Mariâ*, illam ex milite cui *Pantheræ* nomen peperisse. *Panthera* Talmudicis פנדירא *Pandira*, etiam פנתירא *Panthera*. Si facili mutatione scribamus בן תרח, filius *Theræ*, jam evanescit crux illa quæ adeò torsit Criticorum filios.

IV. Si quæ hucusque fidelissimâ indagine pressimus vestigia ad veritatis Habitaculum monstrâsse viam vobis, Auditores Reverendi, videantur. 1. Qualis jam exsurgat Theologia (vestra cura) paucis haud pigebit contemplari. Non illa quam ostentant magna illa Corpora Theologiæ falsò dicta, vel quæ millies cocta Systematum Crambe Lectores penè enecavit; non illa deniq; quam semper parturientia Hæreticorum ingenia Ecclesiæ pestem pepererunt, (licèt hæc nostri sit Officii non ignorâsse;) querula hæc & fastuosa, paci inimica, quâ non majus malum existimo in rem Christia-

nam

nam invasisse. Quam verè hic intuemur Theologiam, ex ipsa æternâ mente Humanis animis illapsa cunctas intellectualis Mundi partes rectè beatéque vivendi scientiâ complet, atque exhilarat. Quæ & ipsa sub brevi Innocentiæ Regno cùm primùm apparuisset, deinde gravi ac diuturno falsæ vel inutilis Religionis morbo oppressa penè conticuisset, sub innocentissimo Jesu tandem revixit, omnes quibus bona mens, ultima in coelis felicitate beatura. Juvabit equidem varios quos in terris subiit coelestis Progenies labores & discrimina audire; florescentis rectæ Rationis incunabula, vetustum tanquam sacrumque Monumentum venerari, Regales fascias deosculari, ipsos vagitus nôsse, primaque loquendi Tentamina intellexisse. Quâ Majestate infantilem ejus ætatem Ænigmatis & involucris decoram ornârunt *Ægyptii* Sacerdotes; quantis laboribus contendebat *Græcia*

illius

illius gratiam demereri, & tandem ſibi quaſi propriam vendicabat. Quàm magnificè ſub *Platone* diſſeruit, indignè ab *Epicuro* inviſa, tetricum vultum induit ſub *Zenone*, ſub *Pyrrhone* nulla fuit, ab *Ariſtotele* edocta, planè & accuratè pronunciavit. Variaſque tum flantis tum reflantis Fortunæ vices experta, Auſpice Chriſto, novâ Revelatione munita æternum ſibi Imperium ſtabilivit.

12. Magnas inſuper vires habet hæc Sacerdotii Chriſti explicatio ad componendas quæ de *Adiaphoris* in Religione moventur lites. Si enim ea ſit ratio Sacerdotii *Melchiſedeciani*, quæ & Chriſti, ut in tractandâ Religione cultuque Divino, ex Legis Naturalis rectæque rationis monitis verſetur, noſtrumque Sacerdotem Eccleſiæ paci, Animarum ſaluti optimè conſuluiſſe neceſſe eſt ut fateamur, quò tot clamores, Nihil in Religione adhibendum quod in Scrip-

turâ non ſit plenè explicatum? Cum ritus, quicunque neque à Deo vetantur, neque à rectâ ratione alieni ſint, abſque ullius hominis Chriſtiani injuriâ poſſint uſurpari. Obſervatu non indignum eſt, omnes naſcentium Regnorum Leges arctiſſimâ brevitate componi; idem & in Eccleſiâ Chriſtianâ magnâ cum ſapientiâ comparatum eſt, ut Leges generali quâdam Significatione conceptæ particularibus cujuſq; gentis Moribus adaptentur. *Ad Divos adeunto caſtè* prima eſt Lex duodecim Tabularum; quibus verò ritibus, Pontificum erat definire.

Nè quid detrimenti capiat Reſpublica, in Mandatis habebant *Romani* Magiſtratus, quibus verò artibus ſalva foret, ipſorum erat dijudicare. Omnia fiant decenter, Lex eſt ditiſſimæ ſapientiæ cujus vi Eccleſiæ Præpoſiti autoritatem habent Cæremonias quaſcunque jubendi, quæ Pacem & Pietatem pro-

movere poſſint. Valdè ſunt ridiculi qui Cæremonias noſtras tanto cum hiatu adoriuntur, quod ſignificationem quandam Officiorum præ ſe ferunt; quantas rixas, ſi nihil ſignificarent, excitaturi! Certè, ex tribus tantâ cum injuriâ exagitatis Cæremoniis duas ſub ipſo *Melchiſedeci* Sacerdotio, omni tempore locoque ubicunque recta ratio locum habuit, floruiſſe pluſquam veriſimile eſt; tertia eſt purè Chriſtiana. Ut appareat non alias jubere Eccleſiam noſtram Cæremonias, quàm quas tum nati tum renati mundi pia ſapientia agnovit, amplexata eſt. Mirandumque eſt inventos eſſe viros Eruditione claros qui, ſummo optimè moratæ Antiquitatis cum opprobrio, nonnullorum ignorantiam vel pervicaciam ſtuduerunt demereri.

Genua flectendi Mos colendo Deo, ex ipsâ Naturâ petitus meritò videatur, cùm non ſolùm multa Veteris Teſtamenti

menti loca ejus vetuſtatem ſtatuant, ſed & verbum Hebraicum ברך utramque ſignificationem genua flectendi, & benè precandi contineat. *Euſtathius* ad *Homerum*, Γόνυ κάμπτειν ἐπὶ ὑποταγῆς καὶ ἐπὶ ἱκετείας. Et alibi, Κάμπτει δὲ εἰς γόνυ καὶ ἐπὶ τιμῆς ἀνδρὸς ὑπερέχοντος καὶ ἱκετευτικῶς. Genuflectio eſt tam Honoris quàm Supplicationis modus. In Euchariſtiâ celebrandâ primi Chriſtianorum ſedebant *Arriani*; qui cum indignè de Perſonâ Chriſti ſentiebant, debitam memoriæ ejus reverentiam denegabant. Videant itaque illi qui nobis genuflectentibus Papiſmum objiciunt, nè ſedentes ipſi veriùs Arrianiſmo ſtudere dicantur.

Color autem albus præcipuè decorus, dixit *Cicero*. Sacerdotes *Ægyptios*, *Perſas*, *Athenienſes*, lineis Veſtimentis uſos teſtantur multis *Herodotus*, *Thucydides*, *Apuleius*. Apud omnes niveus color Sacris proprius: Unde Sacerdotes qui-

dam Idololatræ ſacris ſcriptoribus כמרים quod nigris veſtiti ſacrificabant.

Φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ.

Quatuor Veſtes Sacerdotibus Moſaicis Sacra obeuntibus geſtandæ albæ fuerunt. At hæc infinita ſunt.

De Crucis denique Signaculo in Baptiſmo, non eſt quod erubeſcat, glorietur potiùs Eccleſia Anglicana: Quæ optimè novit, quàm ſummâ cum Religione obtinuit hujus Uſus temporibus Chriſtianiſmi maximè incorruptis. Haud difficile eſſet alios quoq; Eccleſiaſtici Regiminis ritus antiquitatis Theſauris depromptas exhibuiſſe, ut ex illo conſtaret inter Chriſtum & *Melchiſedecum*, Legem Naturalem & ex Revelatione factam convenientia, & ut Sacerdotale Chriſti Officium nullam hinc patiatur injuriam vel dimi-

minutio-

minutionem, augeatur potiùs & compleatur; at negotia quæ vos manent diutiùs jam moratus sum.

Faxit itaque Pontifex noster ut Ecclesia Anglicana, quæ fluctibus quibus diù jactata est, tandem emersa caput exserit, Veritatis ac Pacis conservatrix floreat; nec unquam res suas eò redactas sentiat, ut cum utriusque dispendio, inimicorum cogatur captare malefidam gratiam; quam, magno emptam, tempus erit cùm intactam serò optaverit. Insulam tenet Ecclesia nostra toto Orbe sejuncta, quam nullus *Isthmus* cum *Româ*, non cum *Genevâ* conjunxit ullus. Hoc Votis, Studiis omnes agamus, ut in libertate, in quâ nos Christus asseruit, stemus, nec rursus servitutis jugo teneamur. Quod si fugientem Optimam Religionem sistere, ac retrahere non possimus, sequemur;

quemur ; & poſt eam libentiſſimè expirabimus. Optandum tamen, vivat ut illa, vivatis & vos, & quicunque periclitantem Matrem adjuvare velint, levare curas.

F I N I S.

E R R A T A.

PAG. 4. lin. 22. lege *injuria.* P. 8. lin. 2. חידוש. P. 10. lin. 11. *Mechiſedeci.* P. 12. lin. 10. חסידי אומות, P. 24. lin. 5. *Apocalypſeos.* P. 25. l. 17. *cum.*

BOOKS *lately Printed for* WALTER KETTILBY, *at the* Bishop's Head *in* S. Paul's *Church-Yard.*

BISHOP *OVERALL*'s Convocation-Book 1606. concerning the Government of God's Catholick Church, and the Kingdoms of the whole World, 4o

Mr. *Raymund*'s Pattern of pure Religion.

——— Exposition on the Church Catechism.

Mr. *Lamb*'s Dialogue between a Minister and his Parishioner, about the Lords Supper, 8o

— — Sermon before the K. and Q. *Jan.* 19, 1689.

——— Sermon before the King and Queen *Jan.* 24.

Dr. *Worthington* of Christian Love, 169$\frac{0}{1}$. 8o

Dr. *Kidder*'s Reflections on a *French* Testament Printed at *Bordeaux*, 1686. 4o

Dr. *Sharp*'s Sermon before the Queen, *Apr.* 11. 1690.

——— Fast Sermon before the Honorable House of Commons, *May* 29, 1690.

Dr. *Hickman*'s Fast Sermon before the House of Commons, *Oct.* 19, 1690.

——— Sermon before the Queen, *Oct.* 26. 1680.

Dr. *Pelling*'s Sermon before the King and Queen, *Dec.* 8, 1689.

——— Vindication of those that have taken the Oaths, 4o.

Dr.

Dr. *Grove's* Sermon before the King and Queen, *June* 1, 1690,

Dr. *Hooper's* Sermon before the Queen, *January* 24, 169$\frac{0}{1}$.

Polemo-Middinia, Carmen Macaronicum. Autore *Gulielmo Drummundo* Scoto-Britanno: Accedit *Jacobi* id nominis quinti, Regis Scotorum Cantilena ruſtica vulgò inſcripta *Chriſt's Kirk on the Green.* Recenſuit, Notiſque illuſtravit *E. G.* 4o